



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

An sit licitum desiderare summum Episcopatu[m], & pontificatum, & de
illis, qui appetunt minores Episcopatus ratione honoris, vel abundantiae
bonoru[m] temporalium. cap. iiii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

nec consuetudine vniuersalis ecclesie roborata sunt, sine
 vlla dubitatione refecanda existimo, vt in c. omnia. xij. dist.
 facit tex. in c. in his. xj. dist. vbi habetur: In his rebus, de
 quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos ꝛ populi
 Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt, facit et-
 iam tex. in c. ecclesiasticarum. xj. dist. vbi litera dicit: Eccle-
 siasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam
 vero Apostolica traditione per successores in ministerio
 confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine ro-
 boratas approbavit vltus. Itaque auctoritate generali, vel
 speciali ecclesia regitur, vt in c. catholica ecclesia. ead. dist.
 Et licet vniuersalia concilia non nisi per Rom. Pontificem
 regulariter conuocanda sint, nihilominus non est necessa-
 rium, vt super illis presentialiter intersit; sed ꝛ sufficit, ¹⁰
 quod legati, aut vicarij eius intersunt: quod ex illo aper-
 tissime ostenditur, quod nulli octo conciliorum vniuersa-
 lium, quæ in ecclesia, vt præstantioris auctoritatis, descri-
 buntur, Rom. Pontifex personaliter interfuit, sed per lega-
 tos suos. Vnde Leo Papa huius nominis primus ab Impe-
 ratore Christianissimo Marciano ad Chalcedonense con-
 cilium deuotissime inuitatus, hac ratione inter alias se ex-
 cusauit, quod nullum inde exemplum à prædecessoribus
 accepit. Imperatores olim congregabant eorum aucto-
 ritate concilium generale: deinde sciendū est, quod ema-
 nauerunt decreta, & iuste, vt Pontifices, aut eorū legati ex
 mandato speciali solummodo auctoritatē haberet congre-
 gandi concilium: non tamen Imperatori ademerunt ius
 sollicitandi, requirendi, & instandi, vt celebretur conciliū
 urgente necessitate. Et ꝛ insignia Apostolicæ dignitatis ¹²
 sunt hæc, vt vestibus rubeis, palafredo albo, fræno, & cal-
 caribus deauratis. Et de hoc videbis Hostien. & Cardin.
 & docto. in c. antiqua. de priuil. & ibi de legato de latere,
 & de Cardinali monacho.

AN SIT LICITVM DESIDERARE
summum Episcopatū, & Pontificatum: & de illis, qui
appetunt minores Episcopatus ratione honoris, vel ab-
undantie bonorum temporalium. Cap. IIII.

SVM.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus nomen est operis, non honoris,
- 2 In summo, & minori Episcopatu tria possunt considerari.
- 3 Laudabile est desiderare Episcopatum. & num. 11.
- 4 Mortale peccatum est recusare Episcopatum. & num. 10.
- 5 Episcopus esse debet sine crimine: & a quibus immunus esse debet.
- 6 Propter quid Episcopatus est desiderandus?
- 7 Episcopus unde dictus est?
- 8 Qualis debeat Episcopus esse. & num. 13, & 16.
- 9 Petrus post casum fidelior factus.
- 12 Ementes, & vendentes Episcopatum, magne temeritatis committendi sunt.
- 14 Episcopi nomen quid significet.
- 15 Antiquius laudabile erat Episcopatum querere.
- 17 Non erubescat Episcopus etiam a minimis discere.

Episcopus ¶ secundum Augustinum nomen est operis, non honoris tantum, ut in c. Episcopatum. viij. q. j. ubi litera dicit: Qui præesse, & non prodesse desiderat, Episcopari non debet. Sed in ¶ summo, & minori Episcopatu tria possunt considerari, quorum vnum est principale, & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitas proximorum intenditur, secundum illud Ioan. vlt. Pascite oves meas. Aliud est altitudo, & excellentia gradus; quia Episcopus super multos, & summus Pontifex super omnes constituitur, secundum illud Matth. xxv. Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium est, quod consequenter se habet ad ista, reverentia scilicet, & honor, & abundantia temporalium secundum illud 1. ad Ti. c. i. Qui bene præsumt, duplici honore digni habeantur. Qua consideratione habita est conclusio, quod quoad principale, & finale significatum Episcopatus est nomen operis, non honoris, ut patet ex textu in d. c. qui Episcopatum. & ex eo, quod Dominus Apostolos vocat operarios, quos misit in vineam suam, Matth. xx. qui- bus ait illud Ioan. vj. Operamini cibum, qui non perit, sed qui

qui permanet in vitam æternam. & Lucæ x. Messis quidē multa, operarij autem pauci. Itaque nomen Episcopus superintendens dicitur, & curam aliorum gerens, vt dicitur in d.c. qui Episcopatum. Quantum verò ad alia, quæ minus considerata veniunt in Episcopatu, bene est nomen honoris. Et sic concludo, quòd Episcopatus est nomen operis, & honoris: sed vnum est principale, & finale, vt dixi, scilicet Episcopalis operatio, per quā vtilitas proximorum intenditur. Sed vt plurimum hæc in temporibus istis infelicibus non reperitur: sed vt Dominus dicit de pastoribus Israel, Ezech. xxxiiij. quia pascebant semetipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis, & cæ. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quòd non est pastor, & factæ sunt in deuoratiōnem. Reuerendissimi Episcopi audite verbum Domini. hæc dicit Dominus: Ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt ultra nō pascant gregem meum, nec pascāt pastores semetipsos. Sed ꝑ laudabile est desiderare Episcopatum: quod originaliter habetur i. ad Tit. c. iij. & in c. iij. in æpist. ad Tim. Et dicunt, quòd Timotheus erat primarius in ecclesia Ephesina, in qua erant multi Episcopi instituendi: propter quod Apostolus instruit Timotheum, qualis sit instituendus in Episcopum. Et ꝑ est mortale peccatum recusare Episcopatum, cum quis probabiliter credit se idoneum, vel saltem dubitat: quia est contra fraternam charitatem. facit ad hoc tex. in c. in scripturis. viij. q. j. & qui abscondit frumenta, maledicatur in populis, i. qui abscondit doctrinam. Sed infirmitas impedit promouendum, si dubitatur de conualescentia; non tamen repellit iam promotum. ita docto. in c. cum inter canonicos, de electio. Et status Episcoporum est perfectior, quàm status religiosorum, vt in c. vno. xvij. q. j. Ideo laudabile est, quòd aliquis desideret transire ad statum Episcopalem: sed nō debet propter aduersitatem gregem relinquere. c. suggestum, cum duobus sequentibus. vij. q. j. quia non omnis Episcopus, qui dicit,

dicit, pax vobis, est sicut columba, sed potius sicut corvus
 audiendus. c. non omnis. ca. cau. & q. quia criminofus Epi-
 scopus magis est dicendus canis impudicus, quam Episco-
 pus. c. qui nec. vij. q. j. cum debeat esse sine crimine, vt alios
 possit arguere. c. nemo. lxxxj. dist. c. iudicet. c. primū. xxv.
 dist. vbi litera dicit: Quomodo enim poterit alios corrige-
 re, qui in simile corruit delictum. Et legitur, quod † qui
 eligitur in Episcopum, debet esse sine crimine, & sine cri-
 minali infamia. de quo late in c. fin. & c. ex literarum tua-
 rum. de temp. ord. Et a quibus debeat esse immunis, qui in
 Episcopum ordinatur, vide textum notabilem in c. fin. l. j.
 dist. vbi concilium Toletanum IIII in c. xvij. sic loqui-
 tur: Qui in aliquo crimine detenti sunt, qui infamiae no-
 ta aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam penitentia
 se admisisse confessi sunt, qui in haeresim lapsi sunt, vel qui
 in heresi baptizati sunt, aut rebaptizati esse noscuntur, qui
 semetipsos absciderunt, aut qui naturali defectu membro-
 rum minus habere noscuntur, qui secunde vxoris coniun-
 ctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequentaue-
 runt, qui viduam, vel a marito relictam duxerunt, aut cor-
 ruptarum mariti fuerunt, qui concubinas, aut fornicarias
 habuerunt, qui seruili conditioni obnoxij sunt, qui igno-
 ti sunt, qui neophiti, vel laici, qui seculari militiae dediti
 sunt, qui curiae nexibus obligati sunt, qui in scij literarum,
 qui nondum ad xxx. annos peruenerunt, qui per gradus
 ecclesiasticos non ascenderunt, qui ambitu honore qua-
 runt, qui honorem muneribus obtinere moliantur,
 qui a decessoribus in sacerdotium eliguntur. Itaq; a qui-
 bus debeat esse immunis, qui in Episcopum ordinatur, do-
 cet sacrum generale Concilium Toletanum IIII. in c.
 xvij. Ideo postquam ego possum esse certus de contentis
 in d. c. xvij. & in c. fin. l. j. distinct. licite possum desiderare
 Episcopatum. & Apost. ad Timoth. epist. j. c. iij. dicit: Si
 quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: quasi
 dicat, non † est desiderandus propter officij dignitatem,
 sed propter annexum laborem, qui est ordinatus ad hono-
 rem Dei, & proximi salutem: vnde † dicitur ab epi, quod
 est supra, & scopos, intentio, quia debet semper intendere
 salu-

saluti plebis sibi commissæ. & Apost. in d. c. iij. instruit Timotheum, qualis sit instituendus in Episcopum. Ideo dixit, oportere ¶ Episcopum irreprehensibilem esse. i. sine notabili defectu, & integræ famæ, sobrium in cibis, & potibus, ornatum in moribus, prudentem in agilibus, pudicum. i. honestum in exteriori gestu, hospitalem in pietatis actu, doctorem. i. habilem ad docendum, non vinolentum, i. ad potationem vini assuetum, non percussorem ex iracundia, sed modestum per repressionem passionū, non litigiosum, ita quod non solum ex ira non percutiat aliquem, ut dictum est, sed nec etiā verbis iniuriolis contendat, non cupidum: quia victus, & vestitus debent esse diuitiæ Christianorum, & maximè Episcoporum: unde dicitur: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: suæ domui bene præpositum. i. diligentem de bona provisione domus suæ, &c. Itaque de his omnibus possum esse certus, quia Apostolus possibilia dixit; & sic est licitum desiderare Episcopatum: & Apostolus non dicit, qui Episcopatum desiderat, bonum desiderium habet, sed bonum opus. s. vtilitatem plebis. Itaq; si tu Episcopatum desideras, & ego desidero, hoc est, quod desideramus, quia bonum opus. Et quamvis Episcopatus sit dignitas magna, habet tamen summum laborem, & maximam sollicitudinem sibi annexam: ita ut potius appelletur opus, quàm dignitas. Itaque quiuis Episcopatum licitè cupit, si non propter dignitatem, sed propter administrationem optat prodesse, & non præesse. Ne autem quispiam pronus sit ad Episcopatum desiderandum, declarat Apostolus in d. c. iij. qualem oporteat esse Episcopum, quatenus Episcopatum nemo affectet, nisi virtutibus supradictis ornetur. Sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ ciuitatis elegit, vel autoritas Metropolitani, vel comprouincialium sacerdotum assensus non exquisiuit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem sacerdotij postulatus, & in his, quæ prædicta sunt, exquisitus, si in nullo horum deprehensus fuerit, & examinatus probabili vita, & doctrina extiterit; tunc secundum synodalia, vel decretalia constituta cum omnium clericorum, vel ciui-

ciuium voluntate ab vniuersalibus comprouincialibus Episcopis, aut certè à tribus in sacerdotem die Dominico consecrabitur, conuenientibus ceteris, qui absentes sunt, suis literis, & magis autoritate, vel præsentia eius, qui verè Metropolitanus Episcopus est constitutus. Episcopus autem comprouincialis ibi consecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem non nisi in ciuitate Metropoli à comprouincialibus ibidem conuenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta verita canonum ad sacerdotij gradum indignus aspirare contenderit, cū ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit. Sed iudicio meo, qui esset immunis à supradictis, non desideraret Episcopatum.

9 Sed aduerte, quòd exemplo Petri eligendus potius est in prælatum, qui post casum pœnituit, quàm qui nunquam cecidit: quia talis per casum suum aliorum infirmitatibus compati nouit. l. dist. c. considerandum. & c. sequenti. vbi legitur: Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit: vt is, qui futurus erat pastor ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset, & ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer alienas infirmitates toleraret. Et Prouerb. xj. dicitur: Qui abscondit frumenta, maledicatur in populis; benedictio autem super caput vendentium. Sed ille, qui est idoneus vita, & scientia ad Episcopatum, videtur frumenta spiritualia abscondere, si ab Episcopatu se subtrahat. Per hoc autè, quòd Episcopatum accipit, ponitur in statu frumenta spiritualia dispensandi, & ꝑ peccat nolens acceptare dignitatem, si per alium non potest ita benè ecclesiæ prouideri, vt c. venerabilem, de elect. per Panor. & vide notabile dictum in c. si electio, de electio. in vj. vbi dicunt docto. Electus potest non acceptare electionem de se factam, peccat tamen mortaliter recusando, si putet se idoneum ad illam prælaturam. allegant glo. in c. in scripturis vestris. viij. q. j. Tu intellige, quando alius idoneus deesset, vt per Ioan. Andr. ibi. & Ancharan. & Phi. Fran. hoc adde ad ea, quæ superius diximus. Ergo ꝑ Videtur, quòd laudabile sit Episcopatum
appe

appetere, vt vituperabile ipsum refugere. & Grego. in pastorali pri. par. c. v. tractando de his, qui regiminis culmine prodesse exemplo virtutum possunt, dicit: Quisquis virtutibus pollens gregem Dei pascere recusat, pastore summum non amat, Et Christus ait: Simon Ioannis amas me? qui cum amare se protinus respondisset, audiuit: Si diligis me, pascere oues meas: quia dilectio est testimonium curæ pastoris. Sed desiderare Episcopatum ratione honoris, vel abundantie bonorum temporalium, non est licitum, quia tale desiderium pertinet ad ambitionem, vel cupiditatem, vnde contra Phariseos Dominus ait: Amant primos recubitus in cenis, & primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi, Et Dominus arguit discipulos primatum quærentes, dicens: Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum: Per quæ ostendit, quod Ethnicorum est primatum appetere. Ideo primatum ecclesiæ concupiscere nec iustum est, nec utile; intellige, si idiota, & indignus appetat Episcopatum. Sed desiderare Episcopatum sine negotiatione bonum & optimum est, si a viro digno desideretur. Quis enim sapiens vult vltro cum negotiatione se subijcere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro omni ecclesiæ, nisi forte qui non timet Dei iudicium? ideo locus regiminis desiderantibus est negandus, & fugientibus offerendus est, vt in c. in scripturis vestris. viij. q. j. & non intelligitur ille abscondere frumenta spiritualia (vt dixi) cui non competit ex officio, sed solum tunc intelligitur, si negligat, cum ei ex officio incumbit: vel si officium, cum ei iniungitur, pertinaciter renuat. Sed otium sanctum quærit charitas, & Episcopus in tabernaculo cum Moyse vacare aliquando debet contemplationi. Sed non continuæ contemplationis suauitas amplectenda est, vt subtrahatur, vel diminuat iusta necessitas proximorum: ceterum cum grano salis, & ad utilitatem proximorum vir perfectus, & prudens, bonæ vitæ, & conscientie potest desiderare Episcopatum (vt dixi) et si inducitur ad petendum principaliter ad bonum publicum, non vt præsit, sed vt prosit: vt quia videt ecclesiam viduatam delitui, neque est spes

D
de

de proxima prouisione. itaque ductus charitate mouetur
adeundum, & impetrandum: & tunc satis puto impetra-
tionem licitam, & meritoriam. Hoc videtur optimè pro-
bari in c. in scripturis præalleg. vbi commendatur Isaïas,
qui instante necessitate vltro se obtulit, dicens, Ego mit-
to me. Et ex facto Isaïæ appetentis, & Hieremiæ fugientis
arguitur Gregor. quod sicut toto desiderio debemus oc-
cupationes fugere: ita, si desit, qui prædicet, occupatio-
nis onus libenti necesse est animo subire. Et hoc casu pro-
cedit dictum Archid. quod videbatur contrarium eis, quæ
ipse notat in c. ordinationes. pro hoc facit illud Euange-
licum. Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animâ
suam ponat quis pro amicis suis. Quid dicemus de e-
mentibus, & vendentibus, & de illis, qui appetunt Epi-
scopatum indignè ratione honoris, vel abundantia bono-
rum temporalium, nisi quod à talibus suscipitur magiste-
rium pastorale in magna temeritate? quoniam ars est ar-
tium, regimen animarum. Et sunt nonnulli, qui intra san-
ctam ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant
honoris, videri doctores appetunt, transcendere ceteros
concupiscunt: contra quos Dominus per Prophetam
queritur, dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me: prin-
cipes extiterunt, & ego ignoraui. Ex se autem, & non ex
arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtuti-
bus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupiditate ac-
censi culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequun-
tur. Et pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum
per prophetam dicitur: Ipsi pastores ignorauerunt intel-
ligentiam: quos rursum detestatur dominus, dicens: Ei
tenentes legem, nescierunt me. Et profecto hi, qui ea, quæ
sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo atte-
stante, qui ait: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Et de
hoc in Euangelio Christus: Si cæcus cæco ductum præ-
beat, ambo in foueam cadunt. & nemo quippe magis in
ecclesia nocet, quàm hic qui peruerse agens nomē, vel or-
dinem sanctitatis habet. Itaque oportet Episcopum irre-
prehensibilem esse. Tunc laudabile fuit Episcopatū qua-
rere, quando per hunc quenquam dubium nō erat ad sup-
pli.

plicia grauiora peruenire: Sed mens malignorum præf-
 se volentium plerunque sibi ficta bonorum operum pro-
 missione blanditur. Ille igitur ad regimen debet venire,
 qui cunctis carnis passionibus mortificatis iam spiritua-
 liter viuit, qui prospera mundi postponit, qui nulla aduer-
 sa pertimescit, qui sola æterna desiderat: nam tantū debet
 actionem populi actio transcendere Præfultis, quantum
 distat: solerè grege vita pastoris. Sit ergo cogitatione mu-
 dus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in ver-
 bo, singulis compàsione proximus, præ cunctis contem-
 platione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius,
 contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, &
 misericors, vt in c. omnes, qui iussè iudicant. xlv. distinct.
 Ideo Episcopus, & rector sit operatione præcipuus, vt vi-
 ta viam subditis viuendo denunciet; & grex, qui pastoris
 vocem, moresq; sequitur, per exempla melius, quàm per
 verba gradiatur: quia exempla magis mouent, quàm ver-
 ba. Sit etiam Episcopus discretus in silètio, utilis in verbo,
 ne aut tacenda proferat, aut proferenda taceat: Nam sicut
 incauta locutio in errore pertrahit, ita indiscretū silentium
 hos, qui erudiri poterant, in errore relinquit. Sape nan-
 que rectores improuidi humanam amittere gratiam for-
 midantes loqui liberè pertimescunt. Inter hæc quoq; ne-
 cesse est, vt Episcopus solerter intelliget, ne eum cupido
 placendi hominibus pulset; ne, cum studiò interiora pe-
 netrat, cum prouide exteriora subministrat, se magis a
 subditis diligi, quàm veritatem quærat. hostis nanque re-
 demptoris est, qui per recta opera, quæ facit, eius vice ab
 hominibus amari concupiscit: ita beatus Gregorius in
 pastoralis. Episcopi † Græcè, Latine interpretantur spe-
 culatores: nam quasi speculator Episcopus est præposi-
 tus in ecclesia, eo quod speculetur, & prospiciat populorū
 infra positum mores, & vitam. Et aduertant quæso desi-
 derantes Episcopatū, quia videtur præsumptuosum, quod
 aliquis præesse appetat ad hoc, quod subditis præsit: quia
 prælatus secundum gradū, & conuenientia debet omnes
 alios excedere, & in cōuersatione, & in cōtemplatione, ita
 vt in respectu sui alij sint grex: & hæc idoneitate de se presu-
 mare.

D a

mare

- 15 mere est maximæ superbix. Sed antiquitus † laudabile erat Episcopatum quærere, quando dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire: vnde non de facili inueniebatur, qui hoc onus assumeret, præsertim cum charitatis zelo ad hoc onus inuitarentur, vt iam dixi. Sed hodie, vt plurimum, non zelo charitatis, sed honoris, & pecuniæ incitantur. Itaque opus quidem bonum desiderare licitum est, primum autem honoris locū concupiscere vanitas est. Et deberent recordari de Apostolo dicente ad Timo. c. iij.
- 16 Oportet † Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, ornatum, pudicum, hospitalem, doctore, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, nō cupidum, suæ domui benè prepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentia habebit? non neophitum, ne in superbiam elatus in iudiciū incidat diaboli. Deberent etiam recordari de Apostolo dicente ad Hebræos cap. fin. Obedite prepositis vestris, & subiaccete eis; ipsi enim peruigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri; & cum gaudio hoc faciunt, & non gementes. oportet autem & illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. Sed † nullus Episcopus propter opprobrium senectutis à paruulis, vel minimis eruditus, si quid forte est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat. Itaque non erubescat Episcopus discere à minimis. c. nullus. xxxviiij. dist. quia non licet sacerdotibus ignorare canones. c. nulli, ead. dist. & ibi in c. omnes, videbis, quæ oportet scire eum, qui Episcopus est ordinandus. & in c. quæ ipsis, dicuntur, quæ sint sacerdotibus necessaria ad sciendum; quia propheta ait: Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. bene facit rex. in c. ignorantia. xxxviiij. distin. Et vacante sede, & quærentibus omnibus Pontificatum per fas, & nefas, non licet viro probo, & digno quærere Pontificatum adhibendo promissiones, etiam propter hunc finem, vt in sede positus ecclesiæ profit, & illam reformet: ita doctissimus Caietanus in iij. tomo in questione de simonia; ubi late hunc passum examinavit. An licitum sit desiderare,

app

appetere, & procurare Episcopatum, vel Pontificatum, vi:
de infra in c. ix. ad finem. vbi multa videbis: & adde ad ea,
quæ superius diximus de mente Caietani. Et de materia
præsentis capituli vide sanctum Thom. in secunda secun-
dæ. quæst. clxxxv.

REGIBVS, ET PRINCIPIBVS omnibus consilium datur. Cap. V.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopatus non debet dari propter remunerationem.
- 2 Superbum est, quod quis se reputet alijs meliorem.
- 3 Electio est periculo eligentis.
- 4 Mala electio est in culpa.
- 5 Ad Reges spectat ecclesiam defendere.



AD assumptionem alicuius ad Episcopatum
aliquid considerandum est ex parte eius, qui
assumitur, & aliquid ex parte eius, qui assu-
mit. Ex parte enim eius, qui assumit vel eli-
gendo, vel prouidendo, requiritur, quod fide-
liter, ac digne hæc ministeria dispenfet; quæ quidem dis-
pensari debent ad utilitatem ecclesiæ, secundum illud pri-
mæ ad Corinth. xiiij. Ad ædificationem ecclesiæ quærite,
vt abundetis. Non t̄ autem dignè ministeria hæc homini-
bus committuntur propterea eorum remunerationem, quam
expectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet eligere
in Episcopum, vel de eo prouidere, non tenetur assume-
re meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem;
sed meliorem quod ad regimen ecclesiæ, qui. s. possit eccle-
siam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. Vn-
de contra quosdam Hieron. dicit, quod quidam non quæ-
runt eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cogno-
scant ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quo-
rum sunt obsequijs deliniti, vel dediti, vel pro quibus ma-
iorum quispiam rogauerit. Et vt deteriora taceam, quot,
vt clerici fierent, muneribus impetrarunt? Hoc autē per-
tinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est gra-
ue

D 3 ne